



CONGREGATIO GENERALIS V

23 octobris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Exeant omnes! Manere possunt tantum Patres Conciliares, periti, officiales atque observatores, et pro tempore inthronizationis Sancti Evangelii cantores.

Procuratores, si qui sint, sciant se ad normam *Ordinis Concilii celebrandi* interesse posse tantum sessionibus publicis.

[*Intervallum*]

Faveant sedere.

[*Intervallum*]

Fit inthronizatio Sacri Evangelii. Velint omnes surgere.

[*Intervallum*]

Praest huic congregationi generali em.mus ac rev.mus D. Franciscus card. Spellman, arch. Neo-Eboracensis.

Communicantur nomina Patrum qui sufficiunt illos sodales, qui in aliis commissionibus iam partem habent.

In commissione *De Ecclesiis Orientalibus* loco rev.di P. Minisci Theodori suffectus est exc.mus D. Kavukatt Matthaeus cum suffragiis 724.

In commissione *De fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis* loco em.mi ac rev.mi card. Wyszyński Stephani suffectus est exc.mus D. Morris Thomas cum suffragiis 672.

De mandato consilii praesidentiae. Cum plures Patres petierint aliquas explicationes dari de ratione procedendi in examine schematum, haec, iuxta *Ordinem Concilii celebrandi*, meminisse iuverit:

1. Post illustrationem schematis a relatore factam, fit disceptatio in qua Patres, qui id tempore opportuno petierint, verba proferunt. Antea fit disceptatio de schemate in genere, dein de singulis eius partibus, iuxta ordinem qui a secretaria, iussu praesidis, indicatur.

2. Patres, qui loquuntur, velint suam orationem clare et distincte et quatenus opus est lente pronuntiare; intra terminos statutos sive materiae sive temporis, suum sermonem continere atque in emendationibus proponendis textum substituendum, clare, praecise, concrete afferre neque repetere quae ab aliis iam dicta sint.



3. Patres rogantur sermonem suum scriptum atque subscriptum secretariae generali vel per assignatores locorum tradere.

4. Omnes animadversiones atque emendationes propositae, a secretario generali competenti commissioni tradentur ut illas perpendant atque emendationum indicem conficiant.

5. Emendationum index typis impressus Patribus tempore opportuno distribuetur.

6. Die designata, intercepta, si opus sit, disceptatione, fit in congregatione generali suffragatio de singulis emendationibus adhibendo schedulas terebratas seu perforatas cum formulis *Placet, Non placet*. Cetera suo tempore melius enucleabuntur.

Nunc repetitur variis linguis.

[*Intervallum*]

Versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo González, subsecretarius)

Como muchos Padres han pedido alguna explicación sobre el procedimiento que se ha de seguir en el estudio de los esquemas, por mandato del Consejo de Presidencia y en conformidad con el reglamento del Concilio, debemos recordar:

1. Inmediatamente después de la exposición del esquema, hecha por el relator, se inicia la discusión, en la cual los Padres que hayan pedido previamente la palabra pueden expresar su voto. Primeramente se discute del esquema en general, luego de cada una de sus partes por el orden que la Secretaría vaya indicando según mandato del Presidente.

2. Los Padres que hagan uso de la palabra sírvanse limitar su discurso a los límites de tema y tiempo establecidos por el reglamento, y al proponer sus enmiendas propongan también claramente y con toda precisión las palabras que han de sustituir al texto enmendado, y no repitan lo que por otros ya haya sido dicho.

3. Se ruega a los Padres que entreguen por medio del acomodador más próximo su voto o discurso escrito y firmado a la Secretaría General.

4. Todas las enmiendas y observaciones que se propongan serán entregadas por la Secretaría General a la Comisión Conciliar a que correspondan, para que las estudie y haga una ordenada relación de las mismas.

5. Esta relación será impresa y entregada en el momento oportuno a todos los Padres.

6. En el día señalado, interrumpida si es necesario la discusión, se hará en Congregación General la votación sobre cada una de las enmiendas, por medio de las tarjetas perforadas y con las fórmulas: *Placet, Non placet, Placet iuxta modum*; las demás cosas se irán declarando en el momento oportuno. Y añadido un ruego que nos han hecho llegar muchos Padres, y es que todos



los oradores procuren hablar lentamente y con toda claridad, par que puedan ser bien oídos y entendidos por el auditorio.

[*Intervallum*]

Por mandato de la Presidencia debo rectificar un detalle del punto sexto: al votar sobre las enmiendas, solamente se puede votar con el *Placet* y el *Non placet*, nunca con el *Placet iuxta modum*.

Versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

De nombreux Pères ayant demandé que des explications soient fournies sur la manière de procéder dans l'examen des Schémas, voici, suivant les instructions reçues du Conseil de la Présidence, ce qu'il a semblé utile de rappeler en conformité avec le Règlement du Concile:

1. Après la présentation du Schéma faite par le Rapporteur a lieu la discussion, durant laquelle les Pères qui l'ont demandée en temps voulu prennent la parole. Cette discussion porte tout d'abord sur l'ensemble du Schéma, puis sur chacune de ses parties, suivant l'ordre indiqué par le Secrétaire Général au nom du Président.

2. Les Pères qui prennent la parole sont priés de s'exprimer distinctement et lentement, de s'en tenir à l'objet de leur intervention et de ne pas dépasser le temps fixé pour celle-ci. Lorsqu'ils proposent des amendements, qu'ils veuillent bien formuler avec clarté et précision, de façon concrète, le texte qu'ils souhaitent voir substituer à celui du Schéma. Les Pères sont également priés de ne pas répéter ce qui a déjà été exprimé par d'autres.

3. Le texte écrit et signé de chaque intervention doit être transmis au Secrétariat Général par l'intermédiaire des clercs chargés des places.

4. Toutes les remarques et tous les amendements proposés par les Pères sont adressés par les soins du Secrétariat Général à la Commission compétente, afin que celle-ci les examine et qu'elle établisse la liste des amendements.

5. Cette liste, imprimée, sera distribuée à tous les Pères, quand le moment viendra.

6. Au jour fixé, la discussion en cours à la Congrégation Générale étant interrompue s'il y a lieu, on procèdera au vote sur chaque amendement en utilisant pour cela les fiches perforées. Le vote sur les amendements s'exprime par l'une ou par l'autre des formules *Placet* ou *Non placet*. D'autres indications seront fournies ultérieurement.

*Versio anglica*

(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention please.

Since many of the Fathers have inquired about the methods of procedure in examining the schemata, the Council Presidency has directed to recall to your attention the following provisions of the *Ordo celebrandi* (the Rules of Procedure). These books have been distributed. If you need another copy, the ushers will obtain it for you.

In the first place, the Relator presents with explanations that section of the schema which is to be considered. The Council Fathers, who at least three days prior had submitted their request to speak, will then present their views from the written text. Discussion first will be directed to the broad topic, the schema in general of the particular section, and then to the individual parts, according to the order indicated by the Presidency to the Secretariat.

The Fathers who speak are respectfully asked to speak clearly, distinctly, deliberately, and to the point, staying within the limits of the subject matter under consideration, and of the allotted time. Those who propose a change in the text, an emendation, should incorporate the changes clearly, concisely, and concretely, and submit the changed text. The Fathers are asked to refrain from repeating things already said by others.

Thirdly. The Council Fathers are asked to submit the exact text of their talk in writing, and signed, by means of the ushers, to the table of the Secretary.

Fourthly. The Secretary in turn refers all the observations and proposed changes submitted to the competent Commission which assumes the responsibility of studying and indexing all the proposals.

Fifthly. The indexed list of changes proposed will then be printed and in opportune time distributed to all the Council Fathers for their study.

Lastly, after the lapse of a few days, on a designated day, if necessary the discussion of the subject current will be interrupted, the Fathers will vote on each of the proposed changes, using the perforated ballots and simply voting *Placet* or *Non placet*. Further instructions will be given as the need arises.

Thank you.

Versio germanica

(P. D. Vilelmus Kempf, subsecretarius)

Da eine Reihe von Konzilsvätern gebeten haben, man möge einige Erläuterungen geben über die Art und Weise, wie bei der Behandlung der Schemata zu verfahren sei, werden hiermit gemäss Weisung des Präsidiums die folgenden Punkte im Sinne der Geschäftsordnung Artikel 31 bis 36 in Erinnerung gebracht.



1. Zunächst, wird das zu behandelnde Schema durch einen Referent kurz erläutert. Dann beginnt die Aussprache, in der jene Väter zu Wort kommen, die rechtzeitig, das heisst, drei Tage vor der Debatte, ihre Wortmeldung eingereicht haben. Die Aussprache befasst sich zuerst mit dem Schema als Ganzem, sodann mit seinen einzelnen Abschnitten, und zwar wird jeweils durch das Generalsekretariat angezeigt, wieviel das Präsidium behandeln wissen möchte.

2. Die einzelnen Redner sind gehalten, bei ihren Ausführungen weder die Grenzen der Zeit, noch der anstehenden Materie zu überschreiten. Sie mögen ihre Vorschläge möglichst klar, präzise und konkret formulieren, und nicht Dinge von neuem bringen, die von Vorrednern bereits gesagt worden sind.

3. Die Väter werden ferner gebeten, den Text ihrer Ausführungen schriftlich und mit ihrer Unterschrift zu versehen, und dann durch die Platzanweiser dem Konzilssekretariat zu vermitteln.

4. Sämtliche Bemerkungen und Verbesserungsvorschläge werden vom Konzilssekretariat an die zuständige Kommission weitergeleitet, die sich ihrerseits eingehend damit befasst und eine Gesamtübersicht der Änderungsanträge zusammenstellt.

5. Die Gesamtübersicht der Änderungsanträge wird gedruckt und rechtzeitig den Vätern zugestellt.

6. Zu einem festgesetzten Zeitpunkt, wenn nötig nach abgekürzter Debatte, erfolgt die Abstimmung über die einzelnen Verbesserungsvorschläge mit Hilfe der Lochkarten. Bei dieser Abstimmung gilt nur die Alternative *Placet* oder *Non placet*.

Sollten noch weitere Hinweise notwendig werden, so erfolgen sie zu ihrer Zeit.

Versio arabica

(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

طلب كسبون من الآباء ان تبسط امامهم طريقة البحث في مواضع
المجمع . فأمر مجلس الرئاسة بتفسير ما يأتي مما جاء في
قانون المجمع المعقود .

١ - يبسط الموضوع مقرر ، ثم يجرى جدلا عليه يشترك فيه الآباء
الذين طلبوا الكلام في حينه . اما الجدل فيبدأ في الموضوع
عامة ثم في اجزائه الخاصة بحسب الترتيب الذي تضعه امانة
السرايمر مجلس الرئاسة .



- ٢ - على الآباء الذين يرغبون في الكلام ان يتكلموا بمهمل ووضوح وان يحصروا كلامهم في الوقت المحدد ، وان يعرفوا اقتراحاتهم في نصوص واضحة دقيقة وعملية ، وان لا يعيدوا ما قاله غيرهم .
- ٣ - يطلب من الآباء ان يقدموا اقتراحاتهم خطيا ، وان يوقعوها بامضاءهم ويسلموها الى دليل المجالس القريب منهم .
- ٤ - ترسل كل الملاحظات والاصلاحات المنشودة المقدمة الى امانة السر العامة ، ترسل الى اللجان المختصة لكي تدرسها وتضع بيانا شاملا للاصلاحات التي اجريت .
- ٥ - اما بيان الاصلاحات فيطبع ثم يوزع في حينه على الآباء .
- ٦ - وفي اليوم المعين تعرض الاصلاحات للبحث والجدل في جمعية عامة ثم يقترح عليها بندا بندا باستعمال لوحة التصويت وكتابة كلمة الرضى - Placet - او عدم الرضى - non Placet - وما بقي يشرح في حينه شرحا اوفى .

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Cum aliqui Patres petant aliud exemplar schematum, oportet dicere librum schematum datum iri tantummodo iis Patribus qui illum forte nondum acceperint.



PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Venerabiles Patres,

Cum pastores, non solum parochi sed praesertim episcopi, maxime autem episcopi in Concilio collecti, in exponendis rebus doctrinalibus debeant semper claris, nitidis, limpidis expressionibus uti et relinquere ea quae ambigua possunt esse, vel obnoxia diversae interpretationi, puto esse suggerendum ut saltem pars doctrinalis — quia constitutio liturgica invasit quodammodo campum doctrinalem —, puto partem saltem doctrinalem istius constitutionis esse subiciendam, sicut iam a quodam Patre concinne propositum fuit, esse submittendam recognitioni theologorum.

Possum quaedam exempla exhibere necessitatis huius clarificationis saltem: non quod sint res non iustae, non quod sint res non verae, sed quaedam sunt saltem obnoxia duplici interpretationi; verbi gratia in pag. 157, lin. 13, dicitur Ecclesiam esse visibilem et invisibilem: hoc potest esse obnoxium falsae interpretationi. Item dicitur in pagina sequenti humanitatem Christi Verbo unitam esse causam nostrae salutis: theologi explicant esse causam non simpliciter, sed instrumentalem. Non quod ego petam ut terminus scholasticus inseratur, sed idea clarificetur. Item, quando dicitur salutem factam esse mysterio paschali, passionis, mortis, resurrectionis et ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, non video cur relinquatur maximum mysterium quo redemptio incepta est, videlicet mysterium Incarnationis Domini Nostri, Verbi Dei. Item dicitur, verbi gratia, Christum morte sua nos a potestate daemonis liberasse, et resurrectione sua ad caelum evehisse. Hanc distinctionem non puto esse admittendam. Iam theologi retinent animas, quae erant in limbo, post ipsam mortem Iesu esse ereptas in caelum. Sed quidquid cogitent theologi, est S. Scriptura: Dominus Noster Iesus Christus in ipsa cruce latroni poenitenti dixit « hodie », scilicet in ipso die mortis Domini, « hodie mecum eris in paradiso ». Non erat exspectanda resurrectio.

Item vellem ut in tota constitutione verbum illud auctoritativum « recognoscatur »..., recognoscatur... recognoscatur..., quod sonat quod-



dam iussum... Cui datur hoc iussum? Summo Pontifici? Igitur recognoscatur etiam sub hoc aspectu ipsa constitutio!

Ceterum, vellem exprimere ideam, quod ex ipsa exaggeratione liturgistarum... Est exaggeratio dicere verbi gratia quod tota ratio vitae in seminariis debet esse spiritu liturgico imbuta, quod Liturgia debet esse materia principalis, inter principales instructionis theologicae. Sunt quaedam exaggerationes. Nos omnes amamus Liturgiam, utique, sed cum moderatione iusta, cum debita proportione.

Et in tota illa constitutione, non habetur ulla ratio diversae functionis Ecclesiae, scilicet non solum ministerii, sed etiam imperii et magisterii authentici.

Igitur, non quod ego possim nunc proponere sicut nunc dictum est a Secretaria, formulas, quia ego non suggero formulas, suggero emendationem faciendam a theologis. Possunt facere hoc quin remittatur ad commissionem theologicam; possunt facere etiam optimi theologi qui sunt in commissione liturgica, sed res redicenda est.

Nunc autem ad modum appendixis, licet non tangat ipsam constitutionem, sed quia est res liturgica. Nos videmus optime celebrari Missam in ritu latino qualibet die; cum Ecclesia sit circumdata varietate rituum, optimum mihi videretur suggerere ut etiam aliis ritibus orientalibus, religiosorum, et cetera, celebrentur Missae in initio nostrarum sessionum. Dixi.

Textus scripto traditus:

Cum a pastoribus Ecclesiae, praesertim in Concilio adunatis, expressiones adhibendae sint, quae genuina claritate et limpiditate emineant, nonnulla videntur clarificanda in Constitutione, quae apparere possunt obscura vel ambigua.

Exhibeo exempla:

1) In prooemio, in pag. 157, in lin. 13, Ecclesia dicitur « visibilis et invisibilis », quod sane male intelligi potest.

2) In capite primo, in pag. 159, in lin. 8 et ss., dicitur « ipsius (seu Christi) humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa nostrae salutis ». Theologi, maiore precisione, dicunt humanitatem Christi causam instrumentalem fuisse. Igitur limpidiore quadam locutione utamur.

3) In pag. 159, in lin. 12 et ss., dicitur: « Humanae Redemptionis ... opus » adimpletum esse a Domino « praecipue per suae beatae passionis, ab inferis resurrectionis et gloriosae ascensionis paschale mysterium »; cur vero inter praecipua quibus redemptionis opus adimpletum est omittitur ipsa Verbi incarnatio a qua redemptionis opus initium sumpsit?

4) In capite primo, in pag. 159 in lin. 22, 23, 24, Christus dicitur: « morte sua nos a potestate satanae liberasse et resurrectione sua in regnum Patris transtulisse ». Distinctio illa inter effectum mortis et effectum resurrectionis Christi non mihi videtur satis fundata, nam secundum communem theologorum sententiam, iustorum animae quae in limbo erant statim post mortem Christi in caelum fue-



runt receptae; ceterum sufficiat exemplum boni latronis cui dixit Dominus: « Hodie (scilicet in ipso die mortis Domini), mecum eris in Paradiso ».

Duae animadversiones indolis generalis videntur addendae:

1) In rebus practicis, in futuro exequendis, iuxta vota Patrum, non est adhibenda formula imperativa, ut verbi gratia « recognoscatur ». Hoc enim iussum implicite dirigitur ad Summum Pontificem.

2) In tota hac constitutione vita Ecclesiae ita in vita liturgica comprehensa videtur, ut non satis appareat distinctio inter triplex munus: imperii, ministerii et magisterii authentici.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Fratres,

Necessitate, seu utilitate, renovationis Ecclesiae iam accepta, nihil a priori excludendum est e scrutinio et accommodatione nisi essentia Corporis Mystici eiusdemque instituta divinae originis. E contrario methodi, instituta aliaque humana prioris saeculi exactissime examinanda sunt sub lumine utilitatis et necessitatum hodiernarum. Hac ratione, haec sacrosancta Synodus non potest indifferens stare quaestioni utrum Liturgia reformanda, seu renovanda, sit. *Quaestio ponenda est aperte et sincere. Et ei respondendum est sive affirmative sive negative.* Mihi videtur talis reformatio non tantum optabilis sed valde necessaria.

Ipsa natura tum Liturgiae, tum Ecclesiae fortiter suadet, etiamsi non demonstrat, necessitatem reformationis.

Consideremus primo naturam et munus Liturgiae. Ipsa sacrosancta Oecumenica Synodus Tridentina docuit: « Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam ... (et) caeremonias instituit ... (ut) et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis ac pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur » (Sess. XXII, cap. 5).

Item docuit eadem Synodus: « Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire iudicaret » (Sess. XXI, cap. 2).

Munus, seu finis, saltem partiale Liturgiae est psychologicae afficere « mentes fidelium », — causare, nutrire, perficere in eis devotionem



et cultum internum. Propterea dispositiones psychologicae et mentales hominis contemporanei debent esse elementum normativum et determinativum uniuscuiusque institutionis liturgicae. Quantum ergo est discrimen inter hominem hodiernum et hominem saeculi XVI, tanto fortis est indicatio necessitatis reformationis liturgicae.

Idem constat etiam ex natura ipsius Ecclesiae, cui lex vitae est « unitas in necessariis, libertas in ceteris ». Perfectio altioris gradus humana, quae vocatur « civilisatio » seu « cultura » et possibilis est solum in societate, exigens unitatem in fundamentalioribus, nihilominus consistit in varietate perfectionum partialium et complementarum. Ecclesia, proinde, cuius munus altissimum est non dolere sed subducere omnia naturalia sublimata Christo qui reddat eadem Patri, debet suadere et promovere prosecutionem tum privatam tum publicam talium perfectionum diversarum. Uniformitas ergo, sine necessitate vel maxima utilitate, etiam in Liturgia contradicit ipsi fini et muneri Ecclesiae. Nam sola Liturgia quae existit in maxima conformitate cum vita hominis quotidiana potest operari ut elementum integratum et integrans eiusdem vitae.

Argumenta etiam « a posteriori » eandem necessitatem clare et fortiter demonstrant. Petitio reformationis, quae clamorosa et insistens oritur ex omnibus regionibus, etsi inanis et sine ratione in aliquibus, nihilominus manifestat ex parte christifidelium necessitudines urgentiores et ex parte pastorum efficaciam inaniter impeditam et restrictam. Petitiones paucorum vanae ne excludant nostram sollicitudinem pro genuinis multorum indigentis. Hoc saeculo longe procedimus ad recognitionem practicam iurium et officiorum christifidelium membrorum Corporis Mystici Christi. Nec sufficit haec agnoscere quoad apostolatam, sed necessarium est etiam quoad ministerium Ecclesiae sacerdotale, — utique secundum id quod est proprium unicuique. Sed reddere possibilem illam participationem ampliorem quae est ius et officium laicorum significat accommodare institutiones liturgicas conditionibus actualibus.

Deinde Christus semetipsum morti tradidit « ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam..., sed ut sit sancta et immaculata » (Eph. 5, 27), et dedit sacramenta ut signa et fontes gratiae huic effectui sufficientis. Si talem conditionem Ecclesia ne quidem approximat, debemus in omnibus et per omnia inculcare vitam sacramentalem plenioram, profundioram, perfectioram. Ne excludatur accommodatio institutionum liturgicarum quae, secundum Synodum Tridentinam, ita ordinandae sunt « pro rerum, temporum et locorum varietate », ut « et maiestas tanti sacrificii (et sacramentorum) com-



mendetur et mentes fidelium ad rerum altissimarum contemplationem excitentur », et ut magis expediant « suscipientium utilitati et ipsorum sacramentorum venerationi ».

Venerabiles Fratres, mihi videtur schema *de sacra Liturgia* esse admirabile pro sua aptitudine, rectitudine et prudentia. Agnoscit necessitatem accommodationis; commendat finem et directionem huius accommodationis; cetera relinquit prudentiae Ordinariorum qui, in coniunctione cum Sede Apostolica, accommodent institutiones liturgicas, saltem in parte, necessitatibus pastoralibus suarum dioecesium. Res cum ita sint, reiicere hoc schema — secundum meum iudicium et, nisi omnino fallor, secundum iudicium plurimorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae —, iterum dico, reiicere hoc schema esset reiicere accommodationem qua talem, esset in basi negare maximas evolutiones quae per tot saecula locum obtinent in vita tum orbis terrarum, tum Ecclesiae. Hoc non debemus, non possumus etiam contemplare!

Commendo ergo acceptationem huius schematis in genere, non intendens tamen praecludere disceptationes de particularibus. Dixi.

3

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

Quasdam animadversiones proponere intendo circa schema constitutionis de sacra Liturgia:¹

1. Liturgia est expressio fidei catholicae in cultu quem diversis formis et modis Deo exhibemus in Ecclesia catholica, apostolica, romana. Ergo evidens appareat nexus inter Liturgiam et fidem.

2. Insisto in hac consideratione ex motivo peculiari: haec constitutio si promulgabitur a Concilio Oecumenico, revera fiet « magna charta » apud omnes cultores atque promotores Liturgiae ad suam actionem tutandam, fovendam, amplificandam: ergo ne desit inculcatio nexus inter fidem et Liturgiam. Quo arctius apparebit huiusmodi nexus, eo ampliores erunt fructus pietatis in animis fidelium in tota Ecclesia. Et ita praecaveri possunt omnes errores in hac re, vel saltem exaggerationes, quae efficiunt ut non semper ab omnibus aequo ac sereno animo quae ad Liturgiam pertinent considerentur atque aestimentur.

3. In mundo hodierno, attendendum est maxime ad unitatem fovendam in sacra Liturgia: facilitas aggrediendi itinera efficit ut quicumque homo cosmopolita considerandus sit. Ergo fidelis catholicus,



ubicumque invenietur, possit fidem suam profiteri atque per cultum manifestare modo unitario: quod obtinetur per unitatem Liturgiae; quae revera erit una si unice, sicut nunc est, ab Apostolica Sede disponetur, attentis utique votis episcoporum in toto orbe dispersorum, nulla data facultate aliis novitates introducendi, etc.

Sit ergo una lingua, id est latina (et in aliis ritibus lingua uniuscuiusque ritus); fiant explicationes in lingua vulgari; attendatur quidem ad peculiare indoles populorum: sed maxime ad unitatem servandam attendatur. Providebit Sedes Apostolica ad omnia elementa consideranda et in unum redigenda, ut tutetur fides, ut pietas amplificetur, ut omnes, sive privatim sive publice, augmentum caritatis in Deum et proximum adipisci possint.

4. Ritus sint simplices vel simplificentur. Ritus simpliciati sint in facili captu apud omnes (sunt enim signa quibus homines manuduci possunt ad intelligenda divina). Huiusmodi rituum intelligibilitas sit connexa cum expressione verae fidei; et ita cultus procedet ex fide, alet spem, inducet ad amorem Dei, qui colendus est « in spiritu et veritate ».

5 *et ultimum.*² – Ultimum adiungere desidero: textus Sacrae Scripturae qui in constitutione inducuntur, revisioni subiciantur ut revera in sensu scripturistico adhibeantur. Item verba temperarem quibus in proemio edicitur interdictio definitionis dogmaticae. Demum, constitutio procedat non ut tractatus sed ut documentum solemne Concilii Oecumenici. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest.

4

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA

Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Em.mi et exc.mi Patres et Fratres,

Hoc nostrum votum intendit, maxima cum humilitate, aliquomodo illustrare altiora principia quae divini cultus instaurationem respiciunt. Mihi videtur aliquam sacrosancti Concilii explicitam declarationem vel recommendationem fore valde utilem et proficuum ad finem intentum. Votum meum iis verbis potest formulari:

De sollemnibus quibusdam cultus liturgici formis simplificandis.

Ex accuratis investigationibus historicis constat, in externo exercitio potestatum Ecclesiae non pauca irrepsisse, quae potius sunt humanae



pompae praeteritarum aetatum vestigia, aut domini terreni temporalisque reliquiae, aut personalium privilegiorum ab Imperatoribus vel Principibus obtentorum indicia, aut usus vel emolumenta, quae magis quam ex supernaturalibus Ecclesiae exigentiis, ex humanis potius ac temporalibus commodis ortum habuerunt, atque minus hodie ad christiani populi aedificationem conferre videntur.

Quapropter censeo in hac re oportere illa omnia corrigere, quae forte possent « occasionem dare adversario maledicti gratia » (1 Tim. 5, 14), adeo « ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis » (Tit. 2, 8), prout S. Paulus, ad Timotheum et Titum scribens, congruenter monuit.

Humana ex his aliqua etiam in liturgicum cultum, in pontificalium etiam usum, subrepsisse videntur, quae forte ad accidentalialia externa fidelium attentionem nimis attrahunt, atque essentialia mysteriorum divini cultus aliquantulum obnubilant.

Igitur, salvis omnino iis, quae ad divini cultus splendorem et fidelium pietatem vere conducere censeantur, conandum esse existimamus, ut in externo divini cultus apparatu omnino exsplenderent et fidelium oculis paterent in primis pietas, simplicitas et dignitas, quae magis consentaneae sint genuino Evangelii spiritui, nostrorum temporum hominibus vel maxime placent, atque pergratae poterunt esse, ni fallor, dilectis in Christo fratribus separatis.

Postulare igitur a Sancta Synodo auderem, ut in divini cultus sollemnitatibus supprimerentur illa omnia, quae vel in externis actionibus, vel in sacra suppellectile, vel in ipsis paramentis comprobentur esse vestigia illius humanae et terrenae pompae decursu aetatum, praesertim mediaevalium, non satis consulto inductae, si legitimis nostri temporis usibus et spirituali aedificationi fidelium minus congruere videantur. Dixi.

5

EXC.MUS P. D. HERMANNUS VOLK

Episcopus Moguntinus

Venerabiles Patres,

Schema *de sacra Liturgia* propositum enixe commendare desidero, ad quod praeter alias, hae me movent rationes:

1. Ambitus, quo fideles extra suam familiam hodiernis temporibus vivere coguntur, non iam christiano caractere formatur. Necessarium autem est omni christiano, ut vitam christianam in communitate fide-



lium experiatur. Quid sit realitas christiana in sua differentia ac vita mundana, quid sit Ecclesia, homo experitur, cum cultui Ecclesiae interest. Cum hodiernae circumstantiae in multis regionibus fere nullam aliam relinquunt occasionem obviandi realitati christianaе, cultus liturgicus ipse fidelibus fere omnia praebere oportet, quibus ex fide vivant. Ad hunc finem pro singulis fidelibus ideoque pro Ecclesia ipsa obtinendum...¹ ut cultum suum perfectiorem reddat, id quod ante omnia hoc respicere debet, ut actiones lectionesque liturgicae possint quam facillime intelligi facilioremque reddant activam fidelium participationem. Quo magis active et personaliter fideles sacrificii Missae participare poterunt, eo magis vita christiana liberabitur a legalismo illo, quem tantopere damnant S. Pauli Epistolae ad Romanos et ad Galatas.

2. In mundo hodierno homo, et magis adhuc christianus, dignitate sua saepe privatur. E contra hominem, qui *cultui Ecclesiae interest*,² Deus alloquitur ut suam imaginem et filium ex gratia adoptivum eumque personali modo agere facit, quod magnum praebet auxilium et virtutem ad christiano modo vivendum. Nam quo magis fideles agunt ex sua dignitate christiana, eo melius ipsis providebitur. Propterea attendi debet ut clarior reddatur cultus Ecclesiae, cuius sacramenta et verba hominem christianum in plena sua dignitate invocant.

3. Ratio, cur fideles in cultu Ecclesiae ipso partem agere desiderant, non est, quod eorum fides et devotio esset infirma et imminuta, sed e contrario. Quia Ecclesiam magis et ferventius amant eiusque membra conscia et viva esse volunt, propterea fideles cultum *Ecclesiae*³ ut suam ipsorum actionem melius percipere eique interesse cupiunt.

Quibus omnibus schema *de sacra Liturgia* propositum bene inservire videtur. Quapropter illud magnopere consaluto, non obstantibus paucis emendationibus desideratis, de quibus suo tempore sermo esse potest. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Ecclesia intendere debet. ² cultum liturgicum celebrat. ³ liturgicum.

6

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis *de sacra Liturgia* eminet sine dubio plurimis qualitativis, quae una simul cum generali consensu quem motus sic



dictus liturgicus, sancitus iam plus quam quinquaginta annis abhinc a S. Pio X, transitus nempe Spiritus Sancti super Ecclesiam, sicut proclamavit b. m. Pius XII, indefesse in universo orbe sibi conquisivit, id effecerunt ut ab hac tractatione feliciter pro Concilii Oecumenici Vaticani Secundi initio inciperetur.

Sed, proh dolor, quod est gloria pro commissione praeparatoria et felix opportunitas pro Concilio, si nos, Patres Conciliares, vel leviter non attentionem facimus, in miseriam pro materia tractanda verti posset.

Optime quidem membra commissionis fines a nobis Patribus Conciliaribus persequendos in prima paragrapho prooemii, iam a limine tractationis, perlucide perstrinxerunt, ad mentem Summi Pontificis et multorum episcoporum. « Sacrosanctum Concilium — legitur ibi — cum sibi proponat 1) (numeratio est mea) vitam christianam inter fideles augere; 2) institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt, nostris necessitatibus melius aptare; 3) quidquid ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquomodo conferre potest, ponere; et 4) quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae revocare concurrat, roborare; suum esse ducit peculiari ratione etiam de instauranda atque fovenda Liturgia curare ».

Fratres Conciliares, cum finis primus sit in intentione, opus certissime optimum faciemus, si haec quattuor, veluti prima principia, constanter prae oculis habeamus, cum sine dubio in schematibus de Ecclesia, de unitate fovenda, de Missionibus, plura delibabimus.

Principium pastorale: agitur hic in primis de intimiore vita christiana fovenda, scilicet de pastorali et quidem profunda actione. Non agitur de archeologia, non de historia, non de cultu litterarum, non de iure, non de aethetica, immo haec omnia subordinanda sunt tamquam media ad finem, ad salutem nempe fidelium assequendam. Inserere Liturgiam in sensus, in intellectum, in corda fidelium, et fideles inserere in liturgicas actiones secundum regale sacerdotium baptizatorum membrorum Corporis quod est Ecclesia, nihil aliud est quam actiosa et conscia participatio, quam Summi Pontifices, praesertim Pius X, Pius XII et Ioannes XXIII, sanxerunt et ordinaverunt, ut vim auferrent mirabili activitati liturgicae laicorum, religiosorum et sacerdotum sub plurimorum episcoporum ductu.

Pastoralis liturgica non additamentis externis ipsi Liturgiae indiget, sed signis, verbis, actionibus ipsis quibus Ecclesia et membra eius sanctificantur et laudem Deo tribuunt, efficitur.

Sunt quidem et alia media quibus fidelium pietas (exempli gratia) et sancti enutriti sunt; sed nullum revera superat efficacitate, facilitate, opportunitate sacram Liturgiam, utpote constitutam elementis essentia-



libus et communissimi usus in Ecclesia, laude cotidiana scilicet, sacramentis, proclamatione Verbi Dei, praedicatione et sacrificio Missae, necnon et sacramentalibus.

Alia media sacerdos (exempli gratia) pro lubitu vel aptitudine personali seligere potest; ab actione vero liturgica nullus excusari potest; id unum opus est, ut actiones liturgicae pastoraliter exercentur sine additis, cum pastoraliter natura sua dispositae sint.

Principium vero adaptationis hoc praecise efficit ut actiones liturgicae pastoraliter exercentur, adaptando ad circumstantias locorum et temporum divitias quas uniformitas et traditio nobis praebent, ut ditiores efficiantur, et quantum fieri potest nullum patiantur detrimentum.

Tensiones quidem inter traditionem et actualitatem, inter uniformitatem et varietatem, inter sublimem celebrationem et vulgarem participationem oriuntur; viam mediam, vel potius viam meliorem, sapientis consilii erit invenire.

Schema constitutionis nostrae sapienter a¹ iure *vetere* Conciliorum Provincialium in can. 291 contento, pro *novis* Conferentiis episcopalibus statutum desumit ad hoc ut potestas legislativa episcoporum pro varietate locorum et temporum in materia liturgica, Apostolica Sede vigilante et bonum commune procurante, renovetur.

Ex hoc *principaliori statuto* et ex vigilantia episcoporum in propria dioecesi pro applicatione universalium et regionalium legum, necnon ex propria ad normam iuris activitate legislativa, facillime intelliguntur quae de libris liturgicis, de lingua vernacula, de concelebratione, de communione sub duabus speciebus, de sacramentis, de officio divino, de cantu... nostrae deliberationi proponuntur.

Quam plurima sunt exempla in historia Ecclesiae similium adaptationum quae ex natura incarnationis Christi totalis exoriuntur. Tales adaptationes aliquando magno cum dolore humano introducebantur; sed non semel tam sero ut cum detrimento animarum admissae fuerint.²

Principium oecumenismi: munus pastorale in Ecclesia universali et locali quam maxime hodie urget, non quidem individuales conversiones fratrum *christianorum non-catholicorum*³ procurandi, sed unionem coetuum christianorum in unum ovile fovendi, prout saepissime Summus Pontifex Ioannes XXIII, opportune et importune, si fas esset dicere, extulit. Summa adaptationis liturgicae ad hunc finem obtinendum est reviviscentia thesaurorum in sacra Liturgia contentorum, Mysterii Christi nempe et Sacrarum Scripturarum usus pro captu populi in lingua vulgari oblatorum. Psychologice impossibile erit fratres nostros *christianos non-catholicos*⁴ linguam latinam in oratione et lectione *liturgica*⁵ accepturos esse.



Principium missionale non sufficienter extollitur *quidem*⁶ in schemate nostro, sed non dubito quin Patres Conciliares missionarii momentum missionale Liturgiae promant et adaptationes propositas rite discussas una nobiscum in Concilio statuunt. Sed cur voco in testimonium episcopos missionarios, nonne omnes fere Ecclesiae dioecesanae in statum missionis redactae sunt, qui aliunde *est status normalis*⁷ Ecclesiae?

Si qui vero essent Patres Conciliares qui censerent se non indigere pro Ecclesiis suis adaptatione pastoralis in re liturgica, vel qui, cum curam animarum non haberent, efficaciam cuiuscumque vel minimae adaptationis experiri numquam potuissent, iterum atque iterum coram Deo considerent quaeso ut ita misereri possint omnium nostrum qui hac infirmitate detinemur, et fidelium qui veram reformationem a nobis expectant, quia a Summo Pontifice nuntiata est.

*Iamvero*⁸ accedo ad propositiones card. Frings et card. Döpfner circa notam in calce primae paginae, et circa commissionem statim a Concilio constituendam pro revisione reformationis; necnon card. Silva Henriquez circa Spiritum Sanctum, caritatem et doctrinam de sacerdotio laicorum...⁹ Utinam etiam imprimatur originale schema a commissione propositum ut nobis omnibus distribuatur!

Quae cum ita sint, schema prout iacet in genere placet. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ e. ² fuissent. ³ separatorum. ⁴ separatos. ⁵ liturgicis. ⁶ deest. ⁷ status normalis est. ⁸ deest. ⁹ et alia de delenda phrasi circa...

Votum generale: ubicumque agitur de « Sancta » Sede, melius dicatur « Apostolica Sedes ».

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus Camerinensis

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,

Cum verbum « Liturgia » saepe saepius et a pluribus usurpetur cum significationibus valde diversis, necesse videtur ut in constitutione de Liturgia¹ in primis clare et stricte definiatur quid in hac constitutione veniat sub nomine Liturgiae.

Secundum et summi momenti...²: cum sacrae Liturgiae « centrum » sit sacrificium Missae, cum alioquin theologi adhuc disputent de relationibus inter sacrificium Crucis et sacrificium Missae et vitam christianam,



videtur oportere sacrosanctum Concilium tandem aliquando declaret saltem ea quae directius et efficacius vim habent in vitam christianam et in adistentiam et participationem ad Missam.

Peto veniam si — necessario — notissima, summatim et vix, revoco:

Christus, Caput Corporis Mystici, Sacerdos, semel Semetipsum obtulit in Cruce, aeterna redemptione inventa. Sed Corporis Mystici membra sunt homines libera voluntate praediti. Sacerdos est « Mediator Dei et hominum », homines apud Deum quasi repraesentat, eorum voluntates exprimit. Sacrificium, ut revera omnino absolutum evadat, ut ex eo plenus fructus habeatur, exprimere debet voluntatem eorum a quibus et pro quibus offertur; tandem aliquando oportet ut ad illud accedat voluntas offerentium, ut isti revera fructum eius percipiant (licet in sacrificio Christi talis bona voluntas iam sit fructus eiusdem sacrificii Christi, per quem omnia nobis bona proveniunt et velle et perficere).

Nos igitur, gratia Christi praeveniti, poenitentia ducti, debemus singuli agnoscere Christum, qua Sacerdotem a Patre nobis constitutum, et per ipsum — qui ita « salvare in perpetuum potest » — accedere ad Deum; debemus ita vivere ut vita et voluntas nostra respondeat sacrificio Christi (« omnibus obtemperantibus Sibi causa salutis aeternae » - Hebr. 5, 9) et per Ipsum quasi exprimatur et offeratur acceptabilis Deo (cf. Col. 1, 24 « Adimpleo in carne mea... »).

Quae omnia, ut efficacius fiant, miserentissimus Christus dedit nobis ut accedamus ad Patrem non *tantum*³ revocantes suum sacrificium olim in Cruce oblatum, sed realiter — et, ut ita dicam, quasi materialiter — illud offerentes; immo ipse Christus descendit super nostra altaria ut, ministerio sacerdotum, offeramus nosmetipsos acceptabiles Patri per Ipsum et cum Ipso et in Ipso; et vicissim vitam abundantius habeamus, Ipso Christo enutriti, pane vitae aeternae.

Haec, summatim, est Missa; haec, summatim, sunt relationes inter sacrificium Crucis, sacrificium Missae et vitam christianam.

Tantummodo si haec explicite declarata fuerint, inde deduci poterunt principia fundamentalia pro vera efformatione et vita liturgica cleri et populi; inde lucide apparebit arctissimus immo vitalis ille nexus inter vitam christianam et pietatem individualement (« subiectivam », quam vocant) et Missam et universam Liturgiam, et universum opus redemptionis; et tollentur pericula et offendicula ex quibusdam unilateribus considerationibus.

Haec omnia peragere necessarium videtur, ut Concilium in hac provincia respondeat hodiernis adiunctis et instinctui Spiritus Sancti.

Denique, summo opere optandum *videretur*⁴ ut preces Missae ab Offertorio usque ad Communionem ita reformatur ut haec omnia clare



et efficienter exprimantur: cum revera nimis obscure, et inadacquate, et vix, exprimantur per preces quae nunc habentur: utique vetustate et sanctitate venerandae, sed in decursu temporum adiectae, minus organice, minus sub lumine mysterii.

Veritates dogmaticae, quae supra summatim revocatae sunt, aptius utique locum invenirent in constitutione II, in « De satisfactione Christi », et in constitutione III, in cap. 1, n. 10 « De ordine morali christiano », explicite vero et efficienter revocandae in constitutione *de Liturgia*.

Sed, pro dolor, in constitutionibus illis II et III fere nihil de his veritatibus invenitur.

Unde, humillime sed instantissime peto:

Primo *et fundamentaliter*: ut veritates supra revocatae de Cruce, de Missa, de vita christiana, exponantur vel firme et explicite recolantur, quasi *fundamentum*, in constitutione *de sacra Liturgia*.

Secundo et subordinate: ut disponatur reformatio precum Missae ab Offertorio ad Communionem, ut clare et efficaciter veritates *illae exprimantur*.⁵

In textu scripto tradito: ¹ Etiam si revera oporteat SS. Concilium in constitutione *de s. Liturgia* — sicut dicitur in prooemio — « nihil velle dogmatice definire », attamen: I. In ipsa constitutione desideratur *definitio* clara et exacta de Liturgia (omnino insufficiens videtur descriptio, pulchra sed vaga, quae datur sub n. 3, p. 160, lin. 29-33). Etenim verbum *Liturgia* saepe saepius et a pluribus usurpatur cum significationibus valde diversis. Necesse est igitur ut. ² super quod audeo suppliciter invocare maximam considerationem. ³ tantummodo. ⁴ videtur. ⁵ illas exprimant.

8

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Em.mi ac exc.mi Patres,

Quae proposueram iam dicta fuerunt opportune hesterno die ab em.mo card. Ruffini et a Sua Beatitudine Paulo II, patriarcha Chaldaeorum, scilicet non praetermittere ex hoc schemate *de sacra Liturgia* considerationem aliorum rituum. Ideo, ut brevitati consuletur, omitto expositionem meae petitionis quae iam deposita est apud officium secretariatús generalis.

Hoc unum peto a venerabili consilio praesidentiae, ut velit, ope commissionis cuiusdam mixtae, compositae ex quibusdam membris com-

missionis liturgicae et orientalis, peractis opportunis emendationibus, schema hoc extendere ad ritus quoque orientales.

Nam *primo*: secus, constitutio haec erit facilis occasio plurium fluctuationum pro praesulibus Ecclesiarum orientalium, quousque principia et normae generalia ibi posita, per se applicabilia etiam illis, manebunt absque ulla definitione.

Secundo: etiam hi ritus, aequo iure, indigent instauratione et elevatione vitae liturgicae apud suos fideles.

Tertio: non pauci ex his ritibus, prout ipsi hodie exercentur et vigent apud communitates catholicas, indigent restitutione in pristinam genuinam formam traditionis, ita ut ipsi constituantur tamquam exemplar, capaces « ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia » fovendam potius quam reddere illam magis arduam.

Et *quarto*, in ultimo: dedeceret Concilium Oecumenicum, cum intendat consulere necessitatibus recentiorum Ecclesiarum in missionibus, praetermittere exigentias vetustarum Ecclesiarum orientalium. Dixi.

Textus scripto additus:

Initio constitutionis *de sacra Liturgia* declaratio posita in nota (pag. 155), mentem manifestat eiusdem constitutionis esse: « Altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, proponere ». In prooemio autem asseritur unam ex intentionibus Sacrosancti Concilii in exaranda hac constitutione fuisse: « Quidquid ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere » (pag. 157).

Schemata quae sequuntur prooemium, plene iustificarent intentiones supra enuntiatas, nisi fuisset clausula posita ad calcem ipsius pag. 157, coarctans usum et destinationem huius constitutionis ritui romano exclusive. Nam illa clausula dicit: « Et licet inter haec principia et normas multa habeantur quae etiam ad alios ritus, orientales et occidentales, applicari debeant aut possint, *tamen ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intelligenda sunt*, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant » (pag. 157, nn. 29-33).

Sedulo animadvertenti schemata totius constitutionis, clarescit quaenam fuerit praecipua praecoccupatio auctorum in formulatione praecitatae clausulae: Respectus nempe erga traditiones orientales vel metus offendendi eas. Procul ullo dubio aequa quidem est attentio ista. At nonne melius fuisset conciliare cum hac consideratione, sollicitudinem non privandi ritus orientis et Ecclesias, actione benefica huius Concilii Oecumenici in materia tam gravi et magni momenti, quae est instauratione sacrae Liturgiae?

Concilium ne offendant ritus Ecclesiarum orientalium, inserendo praecitam clausulam, nihil ordinare et definire pro ritibus orientis intendit, et sic peccare dicendum est per omissionem. Concilium in quo quasi omnes praesules catholici orientis sunt praesentes, nonne deberet habere prae oculis etiam necessitates harum Ecclesiarum in hac materia?

Eo magis quod in constitutione de qua agitur extolluntur sana principia generalia liturgica et definiuntur normae quae quam maxime in honore fuerunt in his



ritibus. Et si hodie, apud aliquos haec principia labefactata sint, iniuria temporum, non erit difficile reformare ea et ad pristinam vitam reducere, dummodo Concilium hoc Oecumenicum velit consulere etiam exigentiis ipsorum.

Revera in clausula praecitata, generica et modo vago assertio haec: « licet inter haec principia et normas *multa habeantur quae etiam ad alios ritus, orientales et occidentales, applicari debeant aut possint...* », quemnam fructum dabit in posterum si Concilium abstinetur ab omni actu definitionis? Aut praebetur praesulis orientis occasio pro plurimis difficultatibus quoad selectionem principiorum et normarum applicandarum pro suo ritu, aut ansa dabitur nimiae libertati in commentando de applicatione vel non pro oriente, harum normarum. Utraque solutio non caret incommodis quae deberent evitari et evitarentur reapse si Concilium susciperet onus et responsabilitatem definiendi, ex nunc, ea quae valent aequo titulo, pro tota Ecclesia Catholica, scilicet pro ritibus occidentis et orientis; et alia quae valent solummodo pro ritu romano.

Momentum huius definitionis non est tantummodo in eo quod praeveniat incommoda pro futuro, foveat claritati etc., sed, quod dignum est maxima consideratione, indoles oecumenica Concilii magis et melius eluceret, cum munus eius praepremis sit consulere profectui et exigentiis Ecclesiae Catholicae, Ecclesiae Christi ut sic, et postea alicuius partis eius, quamvis haec pars potior et praeclior fuerit.

Ductus his rationibus propono exc.mis Patribus Conciliaribus, ante omnia expunctionem illius clausulae restrictivae et deinde revisionem schematis ipsius constitutionis *de sacra Liturgia*, in quadam *commissione mixta*, composita ex quibusdam membris commissionis liturgicae et orientalis, cum hac intentione consulendi etiam ritibus orientalibus.

Hoc potest fieri disponendo prius principia et normas quae aequae universalis et communia sunt omnibus ritibus Ecclesiae Christi, et deinde ea quae alicui ritui particulari propria sunt.

Praeses card. SPELLMAN:

Nunc loquatur exc.mus Echeverria, episcopus Ambatensis.

[*Intervallum*]

Exc.mus Echeverria, episcopus Ambatensis, loquatur!

[*Intervallum*]

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ, *subsecretarius:*

Loquatur exc.mus D. Bernardinus Echeverria, episcopus Ambatensis, Ambato, in Aequatore, in Republica Aequatoriana.

[*Intervallum*]

Praeses: Abest!

Exc.mus P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ:

Em.mi Patres, exc.mi Patres,

Ego non postulavi, non manifestavi voluntatem loquendi. Nescio qua de causa sum nominatus. Dixi.

Praeses: Bravo!



Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ, *subsecretarius*:

Secretaria generalis accepit litteram cum quodam « resumine » brevissimo interventionis faciendae ab exc.mo Echeverria. Nescio utrum auctor fuit ipse episcopus Ambatensis an alius. Ideo inclusus fuisti in relatione hodierna.

Praeses: Gratias!

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Audiant omnes! Cum Patres interdum petierint et petant a Concilio abesse ob grave motivum, Sanctissimus Dominus Noster dispensare aliquatenus dignatus est a praescripto Ordinis, ita ut si quis Pater abesse debeat a Concilio ob grave motivum, praesertim pastorale, sufficiat ut id significet secretariae generali, quin exspectet responsionem.

Nunc incipit disceptatio de prooemio constitutionis *de sacra Liturgia*, quod ita incipit: « Sacrosanctum Concilium, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere, institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt, nostrae aetatis necessitatibus melius aptare... », et reliqua (nempe, in pag. 157 voluminis); et etiam circa caput primum, quod ita incipit: « (Opus salutis a Deo praenuntiatum, in Christo eiusque opere impletur, ...). Deus, qui, omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ... », et reliqua.

Velint Patres, qui vocantur, orationem suam continere in limitibus materiae, non ad alia capita transire. Dixi.

9

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI

Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Liceat mihi nonnullas animadversiones vobis perpendendas humiliter subiicere.

1. Ante omnia male mihi sonant vocabula « instaurare, instaurationis », quae frequenter inveniuntur in schemate (cf. Prooemium lin. 7 et 27; pag. 162 lin. 34; pag. 164 lin. 15; pag. 169 lin. 32), perinde ac si finis, quem de Liturgia sibi proponere debeat Concilium, sit omnia renovare vel reficere, cum id illa verba significant vel significare possint.

2. Sermo adhibitus in capite I sub numeris arabicis 1, 2, 3, 5 non videtur mihi satis perspicuus neque apte coniunctus cum re proposita. Ex Litteris Encyclicis Pii XII, sanctae recordationis, *Mediator Dei*, datis



die 20 novembris 1947, facile hauriri posset modus dicendi...¹ brevior, clarior, efficacior.

3. In pag. 161, sub numero arabico 6 — initio — legitur: « Labores autem apostolici ad id tendunt, ut qui receperunt fidem et *paenitentiam egerunt* filii Dei fiant per Baptismum, ... », etc. Haec verba congruunt quidem iis qui Baptismum in aetate adulta recipiunt, non autem pueris, qui certe paenitentiam adhuc non egerunt; sed tamen etiam ipsi per Baptismum fiunt filii Dei, sicut aperte definivit Concilium Tridentinum, Sess. VI, cap. 5.

4. Item non apte dicitur quod legimus in eadem pag. 161, lin. 35 et subsequenti: « Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ceu *ex primo fonte*, gratia nobis derivatur... », etc. Quae sententia est saltem ambigua et incerta. Liturgia, prout est participatio activa sacris mysteriis et orationi publicae ac sollemni Ecclesiae, habenda est quidem fons primus et necessarius ex quo hauritur verus spiritus christianus, ut declaravit S. Pius X Motu Proprio *Tra le sollecitudini*, dato die 22 novembris 1903; sed, proprie loquendo, Liturgia non est primus fons gratiae, neque *primus* fons gratiae est Eucharistia (nisi ratione dignitatis), quamquam haec haberi debeat fons maximus gratiae utpote quae ipsum auctorem gratiae, Iesum Christum Dominum Nostrum, contineat.

5. Pag. 163, lin. 30 et subsequenti legimus: « ... ita ut *tota vitae ratio* in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu informetur ». Profecto quod his verbis praecipitur iustam normam excedit. Pius XII, loco in annotatione laudato, accuratius et subtilius sacrorum alumnos adhortatur ut « sacram Liturgiam addiscant eaque sese nutriant ». *Tota vitae ratio* alumnorum in spem Ecclesiae succrescentium informanda est ad solidam pietatem (divinam), quae alitur non solum Liturgia, sed pluribus aliis exercitationibus, ex. gr. piis meditationibus, conscientiae propriae inquisitionibus, cultu eucharistico extra-liturgico, filiali devotione erga Sanctissimam Virginem Matrem.

6. Pag. 164, n. 16, lin. 28-30, haec inveniuntur: « Libri liturgici recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis; et intra paucos annos edantur ». Velim saltem id adiici: « postquam Congregatio sacrorum Rituum omnia consideraverit et approbaverit, si approbanda ei visa fuerint ».

7. Pag. 165, lin. 29 et subsequenti, dicitur: « *In substantiali unitate* ritus romani, *legitimis* varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus, locus relinquatur ». Quantum mihi licet, exopto ut clare definiatur quae sit substantialis ritus romani unitas, ut decerni possit si varietates et aptationes liturgicae — quando proponentur — legitimae sint necne.

8. Pag. 166, ab initio usque ad litteram grandem C, nimium conceditur vel concedendum dicitur « Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae Episcopali » in cultu ordinando « imprimis quoad administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, etc. ». Additur quidem lin. 7 et 8 « actis a Sancta Sede recognitis »; sed non sufficit, *ut mihi videtur*.²

Pius XII in Encyclicis Litteris *Mediator Dei*, quae iure meritoque habentur Magna Charta sacrae Liturgiae, firmiter id statuit: « Uni Summo Pontifici ius est quemlibet de divino cultu agendo morem recognoscere et statuere, novos inducere ac probare ritus, eosque etiam immutare, quos quidem immutandos iudicaverit; episcopis autem ius est et officium vigilare diligenter ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu observentur ». Exinde episcopi, sive separatim sive in unum collecti, si quid in sacris ritibus immutandum existimaverint, id nullo modo decernere possunt, sed Summo Pontifici plene ac suppliciter subiicere tenentur.

9. Eadem pag. 166, lin. 27 et subsequenti, legimus: « Etsi sacra Liturgia est praecipue adoratio divinae maiestatis necnon donum gratiae Dei... », etc. Pro his verbis alia substitui velim, scilicet: « Etsi sacra Liturgia est praecipue *cultus publicus* divinae maiestatis... », etc. Cultus enim publicus, qui Liturgia constituitur, complectitur, praeter Dei adorationem, etiam gratiarum actionem, expiationem seu propitiationem, et impetrationem.

10. Pag. 167, lin. 13 et subsequenti, proponitur ut amplior locus linguae vernaculae in Liturgia tribuatur. Hac in re cautissime procedendum esse reor. Sine dubio « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis est apud populum » — ut asseruit Pius XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* pluries iam *a me*² laudatis; at vitandus est omnino — ut opinor — nimius usus linguarum vulgariarum, ne amittatur vel graviter imminuatur perpulchra illa plurimorum populorum christianorum unitas quae etiam Liturgiae unitate fundatur. Quemadmodum scite monuit ipse Pius XII his verbis: « Latinae linguae usus, ut apud magnam Ecclesiae partem viget, perspicuum est venustumque unitatis signum, ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas » (Encycl. *Mediator Dei*).

Plerique sane fidelium linguam latinam non intelligunt, sed hodie, facilius quam heri, prae manibus omnes habere possunt missale secundum uniuscuiusque linguam. Porro si fideles plurium nationum assistunt eidem Missae, quaenam lingua adhibebitur? Num lingua latina, quae



communis tunc fieret? Nonne sic incongruens varietas haberetur pro diversis rerum adiunctis et quidem probabiliter in eodem loco?

11. Pag. 167, lin. 25 et subsequentibus. Ex verbis ibi coniunctis, si approbentur, Concilium videretur statuere homiliam esse partem necessariam actionis liturgicae, quod *ut mihi videtur*,³ admitti nequit.

12. Tandem pag. 168, lin. 24 ss., legitur: « In celebrationibus liturgicis quisque ... solum et totum id agat, quod sibi *ex rei natura* spectat ». Potius dixerim « quod sibi ex normis liturgicis a Sancta Sede approbatis spectat ». Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (introductionis). ² deest. ³ deest.

10

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Quoad prooemium:

1. Verba quae, sub lin. 25, declarant nihil definiendum velle dogmatice, mihi videntur retinenda.

Quantoties ex lege orandi desumuntur argumenta pro lege credendi. Ideo, demptis illis verbis, fortasse in futuro theologis ansam dabimus ad multas discussiones instaurandas. Et scopus huius prooemii est instaurare Liturgiam et non disceptationes theologicas.

2. Quoad alios ritus, tum orientales tum occidentales, etiam retinendum est textum prout stat in hoc prooemio, quia periti in illis ritibus possunt illos examinare et proponere mutationes, si quae faciendae sunt,¹ sed haec omnia tempore huius Concilii, ut Patres Conciliares se manifestare valeant. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ erunt.

11

EM.MUS P. D. MAURITIUS CARD. FELTIN
Archiepiscopus Parisiensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Non possum non laudare mentem et verba articuli 24 huius schematis: « Linguae latinae usus in Liturgia occidentali servetur ». Adhuc



enim se praebeat ut signum aliquod perpetuitatis et unitatis, sicut Constitutio Apostolica *Veterum Sapientia* nuper referebat.

Attamen, ut prosequitur dictus articulus, maxima instat necessitas sermoni vulgato in eadem Liturgia locum tribuendi.

Iam nonnulli Patres de hac re optima dixerunt. Mihi tamen veniam datur ut aliqua brevia addam. Ad hoc, pastoralis sollicitudo vehementer urget me.

Archiepiscopus cum sim frequentissimae dioeceseos, in qua multo maior incolarum pars nullam linguae latinae intelligentiam habet, comperiendi copia mihi data est quantum lingua latina in nostris liturgicis caeremoniis usurpata Ecclesiae nuntium tegeret, nec non et eius erga has *humanas multitudines*¹ operi impedimento esset.

Non solum eos qui nondum religioni parent ad has caeremonias adducere arduum est; sed ipsorum christianorum perseverantia deficit: nonnulli autem istam causam inveniunt qua ab omni religionis cura *desisterent*;² alii vero, quamdam communitatis precationem desiderantes, alliciuntur diversis ac recentioribus sectis, quae eam sibi sermone patrio proponunt.

Quod ad fideles pertinet, duplex conatus iam a multis pastoribus inceptus — et cum vero sacrae Liturgiae animo tam plane congruens —, ad eos celebrationi active participandos, et ad eorum pietatem ex ipsa liturgica actione nutriendam, constanti de lingua quaestioni offendit.

Si autem vera fateri volumus, nonne longe a bona mente sit nos fidelibus ad eos docendos vel hortandos alloqui, sermone quem non intelligunt; aut eos precibus lingua ab eis ignota prolatis ut sese active coniungant invitare?

Lingua latina, fateor quidem, quibusdam populis quorum sermo propinquior, oneri non est; sed scio in multis aliis regionibus, praesertim missionum, huius linguae in Liturgia usum exclusivum etiam graviora incommoda praebere.

Sancta Sedes aliquot nationibus beneficas facultates iam concessit. Ut abundanter amplientur exopto.

Nonne adhiberi posset haec generalis norma: vernaculae linguae usus permitti potest pro his omnibus quae sacerdos ad ipsos fideles vertit, scilicet Verbi Dei proclamationem, exhortationes, monitiones; pro his omnibus quae a populo dicuntur, vel a populo una cum sacerdote, vel ab ipsis alternis vicibus recitantur.

Hoc autem principium applicandum esset Missae celebrationi, haud quidem Missae catechumenorum tantum, ne haec pars, alterius incommodo, fidelibus sola pervia fieret.

Exceptio tamen fieret pro Missa sollemni, ut servarentur cum verae



traditionis christianae musicales divitiae, tum possibilitas inter diversarum nationum christianos unanimae celebrationis agenda.

Idem principium sacramentorum administrationi applicaretur (verbis sacramentalibus exceptis), ut iam ritualibus pluribus regionibus concessis provisum est.

Evidenter manet quod nulla translatio in liturgicis caeremoniis usurpari possit, nisi prius ad hoc ipsum approbata fuerit.

Nolo celare me, ut episcopum, eiusmodi pastoralis cura etiam quoad sacerdotes meos affici, electam quidem commissi mihi gregis partem, necnon et mei apostolici laboris consortes.

Ex his aliqui solummodo imperfecte Ecclesiae laudibus partem habent, et in Officio divino vitae spiritualis pabulum invenire nequeunt, propter linguam latinam.

Dum omni ope nitor ut admoveatur Constitutio Apostolica *Veterum Sapientia* et futuri sacerdotes sermonem latinum magis erudiantur, exopto, ut officii lectiones lingua vulgari haberi possint, et ut episcopi certis casibus ampliores facultates concedere possint. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ multitudines humanas. ² desistant.

12

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. MCINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

Em.me Praeses, em.mi, exc.mi et rev.mi in Christo,

Hae animadversiones de lingua Liturgiae referuntur ad pag. 167 et par. 24.

Crescente imperio romano, universalis usus linguae latinae in occidente in sacra Ecclesiae Liturgia recte tribuitur sapientiae humanae et plus quam humanae. In hac re Providentia divina clare viam monstravit. In saeculo IV Concilia ecclesiastica formulaverunt doctrinas et Ecclesiae dogmata in praecisa terminologia latina. Facta saeculi IV ostendunt gravissimam rationem retinendi usum linguae latinae in sacra Liturgia et sacra theologia. Consideratio factorum historiae multum valet in tempore praesenti. Conatus debilitandi soliditatem traditionis linguae latinae in his rebus catastrophem secumferunt. Fundamentaliter, lingua latina adoptata est quia Patres nostri bene intellexerunt naturam vere apostolicam Sanctae Matris Ecclesiae, atque eius universalitatem se extendentem ad omnes gentes. Recte censuerunt talem universalitatem



maxime serviri per commune medium communicandi. Certe lingua latina utilem ad hoc medium commune mirabiliter se demonstravit. Praeterea, doctrinae Ecclesiae, per facta saeculi IV, praecisae sunt. Doctrinae tam definitae requirunt formulationem in lingua exacta, clara et immutabili, ubique comprehensa, vel saltem satis comprehensa a pluribus atque ab omnibus intellecta quia eis interpretatum est.

Lingua latina tale medium communicandi se ostendit. Effectibus mirabilibus iam operam dedit. Restrictiones nationalitatum superavit. In re politica neutri parti se adiunxit. Magna cum constantia in nostra epoca efficientia eius perseverat.

Adoptata lingua latina, lingua vere universalis evenit in occidentali, praesertim inter viros eruditos et litteratos. Habens structuram non vulgarem sed mathematicam, lingua latina primatum continuum adepta est, ac per omnia saecula praeservat. In rebus intellectualibus, in rebus litterariis et scientificis iam valde praestat.

Concilia priorum saeculorum dogmata Ecclesiae in lingua latina formulaverunt usque ad accommodandum et latine reddendum disputata vocabula graeca. Vehiculum dogmatis latina lingua semper fuit quia medium aptum accurate, definite et determinate cogitandi ac principia statuendi. Non solum disciplinis ecclesiasticis sed etiam lege civili et philosophia fideliter deservit. Si hoc instrumentum, tam aptum moderandi et firmandi, a sacra Liturgia eripitur, stabilitas dogmatum periclitatur. Sectae protestanticae linguae vulgari se converterunt et in factiones innumeras se dissolverunt.

Per multa saecula lingua latina sub tutela Ecclesiae stabilitatem magnificam exhibet. Fundamentum immutabilitatis est, et viris doctis pretiosum moderatorem colloquendi et scribendi praebet.

Eo quod in forma originali lingua latina numquam evoluta est in linguam vulgarem, stabilitas eius et immutabilitas auctae sunt. Sane in omni tempore est lingua classica maxime eruditorum.

Memores tam historiae priorum saeculorum, tam necessitatum hodiernarum, *rogo*:¹ ubi est iustificatio opinionis quae ad nutum, *iterum dico ad nutum*,² vult mutare linguam venerabilem sacrae Liturgiae? Impugnatio in linguam latinam sacrae Liturgiae indirecte, sed vere, est impugnatio in stabilitatem sacrorum dogmatum, quia sacra Liturgia necessario importat dogmata.

Saeculis recentibus, etiam in America Septentrionali tam materialistica, incrementum Sanctae Matris Ecclesiae vere mirabile fuit, retenta sacra Liturgia in lingua latina. Conatus protestantismi deficiunt, et protestantismus lingua vulgari utitur. Iterum rogamus: quare mutatio, praesertim quando mutatio in hac re difficultates multas et pericula magna



secumfert? Omnes in hoc Sacro Concilio possumus in mentem revocare mutationes fundamentales in significatione verborum vulgarium usus hodierni. Deinde sequitur quod si sacra Liturgia in lingua vulgari sit, immutabilitas doctrinae periclitetur.

Annis recentibus tandem nationes ignotae se patefaciunt ac linguae novae et multae, nationum et tribuum, in notitiam omnium venerunt per associationem Nationum Unitarum.

Si linguae vulgares introducuntur, praevidemus interpretationes innumeras sacrorum dogmatum. Ut aeterna veritas doctrinae exprimatur, sacra dogmata significationem et formam pristinam immutabiliter retineantur!

Introductio linguae vulgaris debet separari ab actione sacrae Missae. Sacra Missa debet remanere ut est. Graves mutationes in liturgia introducunt graves mutationes in dogmata. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest.

13

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Em.mi et rev.mi Patres,

Mihi gratissimum est declarare quod, magno cum gaudio et toto corde, approbo et mentem et plerasque propositiones illius prooemii et primi capituli...¹

*Etenim*² antiquissima Ecclesia sub figura boni Pastoris Christum « passum, mortuum ac resuscitatum » libenter evocabat. Sacra vero Liturgia, cuius fons et origo Christus est, ex sua ipsa natura *pastoralis est*. Sicuti sanguis Christi « pro multis effundetur » (canon Missae), ita *propter homines* sunt sacramenta. Servatis ergo eis quae ad substantiam sacramentorum pertinent, obiectum primariae sollicitudinis Ecclesiae sacram Liturgiam renovantis, ipsorum hominum necessitates esse debet. Quaestio renovationis Liturgiae est quaestio eminenter pastoralis. Sacramenta et particulariter sancta Missa sunt *via praecipua*, immo (si considerantur regiones ubi libertas religiosa minuitur) *via saepissime unica* qua verbum Christi et vox Ecclesiae a fidelibus audiri possunt. Omnia ergo possibiliter fieri debent, quibus thesauri Ecclesiae in sacra Liturgia absconditi aperiri possent, ita ut omnibus hominibus (quaecumque sit eorum lingua vel cultura) Christi mysteria salvifica late pa-



teant et illos spiritualiter nutriant...³ Tamen, ex pastorali prudentia viam firmiter aperiendo ad linguas vernaculas, illam sanctam *fortitudinem* et inconcussam *fiduciam* habeamus quae semper Ecclesiam inspiraverunt in difficilioribus optionibus decidendis.

Propositiones illius constitutionis de sacra Liturgia a pastoralis zelo funditus inspiratae sunt...⁴

De primo capite quattuor breves animadversiones faciam.

*Art. 16. - Sic legitur hic articulus: « Libri liturgici recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis; et intra paucos annos edantur ».*⁵ Ad mentem propositionis ab em.mo card. Döpfner heri factae, ardentem exopto ut ad Summum Pontificem desiderium exponatur ut commissio postconciliaris ad libros liturgicos recognoscendos ante ipsius Concilii conclusionem, immediate post promulgationem constitutionis de sacra Liturgia constituatur.

Ratio est quia agitur de materia valde pastoralis quae curam Ecclesiae immediate postulat. Praeterea periculum habetur, in materia quae tam proxime vitam omnium fidelium tangit, ne inutiles disputationes Ecclesiam perturbent de conclusionibus practicis ex generalibus principiis constitutionis deducendis.

*Art. 22. - Primae sententiae substituatur sequens formulatio (sic dicitur: « Et quia in quibusdam regionibus, praesertim autem in missionibus... »*⁶): « Et quia in plerisque regionibus, nempe in illis missionum sicut et in illis quae antiquissime ut christianae considerantur, Liturgiae aptatio difficilior evadit et magis urget ».

Ratio est quia necessitas adaptandi Liturgiam non solummodo existit in missionibus (ut insinuari videtur in textu) sed etiam in regionibus mundi occidentalis ubi, ab ultimo saeculo, nova civilizatio nata est: nempe civilizatio technicarum, quae in omnibus campis humanae activitatis, culturam et ipsam mentalitatem hominum funditus transformavit; quae civilizatio suum proprium symbolismum creavit et renovatos modos mysteria fidei attingendi exigit.

Art. 24. - Lin. 19 deleatur et dicatur potius: « ... limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a Sancta Sede recognitis ».

Ratio est quia illa formulatio conformior est iurisdictioni quae, sub Romano Pontifice, episcopis pertinet; quia praeterea illa formulatio, quae episcopalem potestatem legisferendi merito recognoscit, erat ipsa et eadem formulatio schematis commissioni centrali propositi et ab illa approbati.

Art. 25. - Propono ut in descriptione ibi data de praedicatione seu de homilia aliud elementum addatur. Dicatur lin. 30 praedicationem



patefacere debere requisita immediata et concreta Mysteriorum Salutis in quotidiana vita fidelium. Meo enim iudicio, non sufficit modo nimis generali dicere mysterium Christi praesens semper esse et operari...⁷ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Mens enim illius constitutionis perfecte consonat restorationi liturgicae a sancto Pio X initiatae et a Pio XII et Ioanne XXIII, Pontifice feliciter regnante, persecutae. Nunquam, a primis saeculis Ecclesiae, mysterium paschale tanta in gloria repositum est. ² deest. ³ Ne sane despiciatur signum et medium unitatis quod in lingua latina inveniatur. ⁴ De eorum admirabili opere fervidam gratulationem facere desidero membrum commissionis praeparatoriae *de sacra Liturgia*. ⁵ deest. ⁶ deest. ⁷ Haec est animadversio quam humiliter et confidenter propono.

14

EM.MUS P. D. VILLELMUS CARD. GODFREY

*Archiepiscopus Vestmonasteriensis**Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres,*

Meo humili iudicio ¹ schema generatim placet, sed liceat animadversiones aliquas facere.

Placet quod legitur in prima pagina prooemii quod non est intentio sacrosancti Concilii in praesentibus constitutionibus aliquid ut doctrina fidei definire.

De principiis generalibus.

1. Placet omnino quod dicitur de usu linguae latinae in Liturgia occidentali. De sermone in lingua vulgari: utilis esset, meo...² iudicio, *in certis locis et in variis ritibus*; v. g. partim in sacramentis, et in sacramentalibus. Sed nonne valde desiderabile esset relinquere sacrosanctum sacrificium Missae uti est? Aliqui loquuntur de utilitate linguarum vulgarium in missionibus, sed varii missionarii intelligunt bene quod magnae difficultates oriri possint, causa varietatum linguarum tribuum, cum consequenti confusione. Non desunt, uti scimus, illi qui desiderant excludere linguam latinam totaliter a Missa in Liturgia occidentali, et non sine strepitu propagant eorum ideas. Verum est autem in hac quaestione rem conferentiae episcopali debere submitti, secus habebimus, ni fallor, magnam confusionem, speciatim in finitimis regionibus.

Licet sperare quod unus Concilii fructus erit ut post decreta Sanctae Sedis de usu linguarum vulgarium fiat tranquillitas magna et cessatio omnis agitationis...³ Excludatur etiam omnis interpretatio privata rubricarum quae, ni fallor, radicem habet in spiritu iudicii privati. Revera



valde optandum est ut res pacifice solvatur post Christi Vicarii decisionem in Concilio.

2. Quantum spectat ad ea quae dicunt fratres separati: verum est quod illi non raro nos exprobrant de ignorantia Sacrae Scripturae, asserentes esse apud nos quemdam defectum proportionis inter elementum sacramentale et elementum scripturale, *i. e.*⁴ proclamationis et praedicationis verbi Dei.

Attamen abstineamus ab omni exaggeratione. Catholici enim in nostra regione audiunt, die dominica et aliis diebus de praecepto, lectionem Sacrae Scripturae et catechesis fit brevi sermone in omnibus Missis. Notum est quod hodierno tempore catholici nostri, magno numero, assistunt Missae et audiunt verbum Dei. Ecclesiae nostrae plenae sunt dum, e contra, ecclesiae aliorum non raro habent parvas congregationes, et hoc non obstante usu linguae vulgaris forma sat pulchra necnon classica...⁵

3. In tota hac quaestione de Liturgia in recta via stabimus si manemus cum Sancta Sede. Illi qui cito currunt vellent anticipare magisterium Sanctae Sedis. Non ita discipulus praedilectus quando currebat cum Petro ad sepulcrum Domini. Celeri pede ad metam pervenit sed non intravit nisi Petrus primum ingressus fuerit in *sepulcrum*.⁶ Utinam omnes nos eiusdem mentis simus!

4. Certo non est necesse animadvertere Liturgiam non esse finem in se ipsa, sed magis medium ad finem; et finis est augmentum fidei, spei et caritatis. Melius esset, uti mihi videtur, incipere hoc caput, *caput de quo nunc discutimus, melius esset, uti mihi videtur, incipere hoc caput*⁷ cum praecisa definitione Liturgiae. Scio bene quod in pag. 160 datur aliqua explicatio termini. Non facio hic quaestionem nisi de loco ubi definitio poni deberet. Denique ne obliviscamur illa exercitia pietatis approbata et commendata ab Ecclesia. Distinctio inter liturgistas et non-liturgistas, quantum ad nos spectat, mihi videtur artificialis. Nonne sumus omnes liturgistae? Nonne distinctio deberet esse inter liturgistas exaggeratos et moderatos?

5. In dubio de modificatione Liturgiae argumentum historicum non debet nimis premi. Si quis mihi diceret « Haec caeremonia non fuit introducta nisi in saeculo XII », accipio hoc tamquam declarationem historicam, sed non est argumentum. Id quod nos debemus considerare est argumentum pastorale, nempe: estne hoc propositum, hic et nunc, utile et aptum pro gregibus nostris, quidquid sit de tempore introductionis alicuius elementi? Forsitan in futuro Concilio dicetur de nostris decisionibus: « Hoc introductum fuit solum in anno 1962 ». Essetne bonum argumentum contra decreta nostra?



In pag. 164, sub n. 16, legitur: « Libri liturgici... etc. ». Licet sperare quod post editos libros non erunt posteriores mutationes pro certo tempore, quia non est facile, uti scimus, saepe mutare libros nostros, v. g. missalia, breviaria.

6. In pag. 168, sub n. 26, ubi loquitur de celebratione communi praeferenda, puto me bene sensum intellexisse; sed, meo iudicio, melius esset hunc articulum eliminare quia possit interpretari ut quodammodo quaedam diminutio celebrationis Missae privatae.

Cum gaudio legi verba sub n. 28 de Ecclesiae auctoritate in Liturgia moderanda. « Nullus — *nullus*⁸ —, dicitur, aliquid privato Marte in Liturgia addat, demat aut mutet ». Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² humili. ³ et amaritudinis. ⁴ deest.
⁵ praesertim in ecclesia anglicana. ⁶ sepulcro. ⁷ deest. ⁸ deest.

15

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS

Archiepiscopus Limanus

Em.mi, exc.mi ac rev.mi Patres,

...¹ Schema *de sacra Liturgia* nobis praesentatum in genere placet cum respondeat fini intento eadem sacram Liturgiam melius aptandi hodiernis necessitatibus cleri et populi christiani.

Probantur etiam quae in schemate proponuntur de via aperienda legitimae progressionis (n. 18) ac de loco relinquendo « in substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus » (n. 20, pag. 165 ss.).

Cum tamen ritus unitas multum conferat unitati ipsius Ecclesiae, summo studio cavendum esse existimo ne plus aequo varietati faveatur. Nunc vero, in n. 21 schematis, pag. 166, dum conceditur Ordinariis singularum provinciarum vel regionum vel etiam Conferentiae episcopali nationali maior facultas divinum cultum ordinandi, imprimis quoad administrationem sacramentorum et sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, etc., non clare apparent limites huius facultatis concessae eo quod verba finalia eiusdem paragraphi, « actis a Sancta Sede recognitis », possunt interpretari diverso modo, et proinde forsitan aliquod periculum prae se ferre ne via aperiatur effusiori licentiae ex qua ipsa substantialis ritus unitas quadamtenus labefactetur.



E contra, optime statuitur in numero sequenti 22, ubi agitur de missionibus, quomodo procedi debeat in aptationibus liturgicis proponendis et qua via in praxim deducantur. Quam ob causam, melius, tutius et aptius esse censerem si ubique locorum ubi variationes vel aptationes liturgicae desiderantur, applicarentur normae quae isto n. 22 proponuntur vel saltem clarius statuatur limites inter quos Conferentiae episcopales possint hac de re innovare.

Hoc modo debite consulitur et necessitati viam aperiendi nonnullis mutationibus de Liturgia accommodatis hodiernis exigentiis, et alia ex parte evitabuntur immodicae varietates et fortasse possibles deviationes.

Quapropter *accuratius, melius esset*² loco ultimorum verborum n. 21, « actis a Sancta Sede recognitis », *si*³ dicatur: « servata norma in numero sequenti sub 1 recensita ». Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Imprimis. ² propono ut. ³ deest.

16

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Venerabiles Patres,

*Pauca tantum dicendum habeo, quia iam multa dicta sunt quae non est necessarium iterum tangere.*¹

In prooemio, lin. 4, dicitur: « ... quidquid ad unionem fratrum separatorum *in* Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere ». *Accuratius esset dicere: « quidquid ... ad unionem fratrum separatorum cum Ecclesia quoquo modo conferre potest, fovere ».* Cum omni caritate et dilectione adspicimus fratres separatos et desiderium nostrum summum est eos habere nobiscum, sed puto quod non licet adhuc dicere: « quidquid ad unionem fratrum separatorum *in* Ecclesia... ». Ergo: *cum Ecclesia!*

In cap. I, pag. 161, lin. 30, ubi agitur: « (Eucharistiae sacrificium fons vitae Ecclesiae). Labores autem apostolici ad id tendunt, ut qui receperunt fidem et paenitentiam egerunt filii Dei fiant per Baptismum, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent et cenam dominicam manducant ». Propono ut ibi inserantur haec verba, post vocem « laudent »: « in medio Ecclesiae Deum laudent, *sacrificio divino intersint*, et cenam dominicam manducant ». Non est necessarium explicare, ut puto, necessitatem huiusmodi inserti.

In eodem capitulo, pag. 166, lin. 4 et 5, loco dicendi: « maior concedatur (a Sancta Sede) facultas », melius esset ut diceretur: « optandum



esset ut maior concedatur ». In modo loquendi Concilii Oecumenici, non deberet habere ne quidem ullam similitudinem cum ordine dando Sanctae Sedi, sed optandum esset. Et idem dicerem quoad eandem paginam, lin. 19 et 20.

Item in eodem cap. I, pag. 167, lin. 26 et 27: de praedicatione in sacra Liturgia; et de praedicatione dicitur: « Haec vero imprimis ex fonte Sacrae Scripturae et Liturgiae hauriatur ». Puto quod bonum esset inserere: « Haec vero, *praeunte divino Ecclesiae magisterio*, imprimis ex fonte Sacrae Scripturae et Liturgiae, etc. ».

Pag. 168, art. 26. Articulus iste mihi videtur esse nimis succinte redactus, cum periculo cuiusdam confusionis. Si textus ad litteram sumeretur, aliquis ex eo certe, male interpretando intentionem redactorum, posset concludere melius per se esse ut sacerdos aliquis Missae ab alio sacerdote celebratae, cum fidelibus actuose participantibus, adstat, quam ut propriam Missam celebret. Unde humiliter consulerem ad omne dubium auferendum ut iste articulus iterum redigatur et noviter proponatur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest.

17

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérés et bien aimés Frères,

Bien que le schéma *de sacra Liturgia* ne concerne que le rite romain, qu'il me soit permis cependant d'apporter aux débats le témoignage d'un patriarche d'Orient, qui suit avec intérêt les progrès du mouvement liturgique dans l'Eglise latine. Pour brièveté, ce témoignage ne portera que sur le problème de la langue liturgique, considéré dans notre schéma au n° 24.

Je dois dire d'abord que le schéma, dans son ensemble, est excellent. Sous réserve de quelques amendements, *qui ont été faits ou qui seront faits par les évêques intéressés.*¹

Je me permettrai de faire remarquer seulement que le principe énoncé en tête du n° 24 me paraît trop absolu. « *Latinae linguae usus in Liturgia occidentali servetur* ». Il me semble que la valeur quasi absolue que l'on veut donner au latin dans la liturgie, dans l'enseignement et dans l'administration de l'Eglise latine, représente, pour l'Eglise Orientale, quelque chose d'assez anormal; car enfin le Christ a bien parlé le



langage de son temps. C'est bien aussi dans la langue comprise de tous ses auditeurs, l'araméen, qu'il a offert le premier sacrifice eucharistique. Les Apôtres et les Disciples en ont fait autant. Il ne leur serait jamais venu à l'idée que, dans une assemblée chrétienne, le célébrant pût faire lire les péricopes scripturaires ou chanter les psaumes ou prêcher ou rompre le pain en utilisant une langue autre que celle de l'assemblée. Saint Paul nous dit même explicitement: « Si tu ne bénis qu'avec l'esprit (c'est-à-dire dans une langue incomprise), comment celui qui a rang de non-initié répondra-t-il Amen à ton action de grâces, puisqu'il ne sait pas ce que tu dis? Ton action de grâces, certes, est excellente, mais l'autre n'en est pas édifié... Dans l'Assemblée, j'aime mieux dire cinq mots avec mon intelligence, pour instruire...² les autres, que dix mille en langue (incomprise) ». Toutes les raisons invoquées en faveur d'un latin intangible — langue liturgique, mais langue morte — semblent devoir céder devant le raisonnement clair, net et précis de l'Apôtre.

Par ailleurs, l'Eglise Romaine, elle aussi, jusqu'au milieu du III^e siècle au moins, a employé, dans sa liturgie, le grec, parce que c'était la langue parlée de ses fidèles d'alors. Et si, à cette date, elle a commencé à abandonner le grec pour utiliser le latin, c'est précisément parce que le latin était devenu entretemps la langue parlée de ses fidèles. Pourquoi cesserait-elle aujourd'hui d'appliquer le même principe?

Quant à l'Orient, après l'araméen et le grec des premières générations chrétiennes, le copte s'y introduisit dans les campagnes d'Égypte. Ce fut ensuite le tour, à partir du V^e siècle, de l'araméen, du géorgien, de l'éthiopien, de l'arabe, du gothique et du slavon.

Dans l'Eglise d'Occident, c'est seulement au Moyen-Age que le latin fut considéré comme la seule langue universelle de la civilisation romaine et du Saint-Empire, par opposition aux langues des nations barbares qui dominaient l'Europe. Aussi l'Eglise d'Occident fit-elle du latin sa langue officielle et sacrée.

En Orient, au contraire, on ne s'est jamais posé de problème au sujet de la langue liturgique. Toute langue est liturgique, car, suivant le psalmiste, « *Laudate Dominum omnes gentes* », donc on peut prier et chanter dans toutes les langues, toutes les langues peuvent glorifier Dieu. On peut avec toutes les langues³ prêcher l'Évangile et offrir le sacrifice. Et nous, en Orient, nous ne concevons pas qu'on puisse réunir les fidèles pour les faire prier dans une langue qu'ils ne comprennent pas.

La langue latine est morte; mais l'Eglise reste vivante; et le langage, véhicule de la grâce et du Saint-Esprit, doit être lui aussi vivant, car il est pour les hommes et non pour les anges: aucune langue ne doit être intouchable...⁴



Ceci dit, je proposerais d'abord d'atténuer quelque peu la rigidité du principe initial contenu dans le n° 24 (lignes 10-11) et qui est « *Linguae latinae usus in Liturgia occidentali servetur* », en disant par exemple: « *Lingua latina est lingua originalis et officialis ritus romani* ».

En second lieu, je proposerais de laisser aux conférences épiscopales dans chaque région la responsabilité de décider si, et dans quelle mesure, il convient ou non d'adopter la langue vivante dans la Liturgie. Le texte du schéma ne laisse aux conférences épiscopales que le soin de seulement proposer cette adoption...⁵ Mais point n'est besoin d'une conférence d'évêques⁶ pour faire une proposition. N'importe quel fidèle peut le faire. Les conférences épiscopales ne doivent pas pouvoir seulement proposer, mais décider, sous réserve de l'approbation du Saint-Siège. Je proposerais donc d'achever ainsi la fin du numéro 24 (lignes 6-19): « *Sit vero Conferentiae episcopalis in singulis regionibus ... limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis Sancta Sede recognitis* ».

A propos des langues vernaculaires, qu'il nous soit permis de dire encore un mot:

Combien nous aurions été heureux s'il nous était permis de comprendre tout ce qui se dit dans ce Concile, par le moyen de traductions simultanées comme cela se fait dans toutes les assemblées mondiales. Nous ne faisons injure à personne en disant que l'usage exclusif du latin nous empêche et empêche aussi beaucoup d'autres de comprendre des questions souvent graves, sur lesquelles nous sommes obligés de nous prononcer. Nous, les Orientaux, nous ne sommes pas obligés de connaître le latin, mais nous avons le droit de ne prononcer notre jugement qu'en connaissance de cause. La parole précitée de saint Paul: « Comment peuvent-ils dire Amen, s'ils ne comprennent pas ce qui se dit? », s'applique à nous. En plus, nous devons apposer notre signature à la fin des Actes du Concile, ce qui ne peut se faire qu'à bon escient, en sachant ce que nous faisons. Pour nous, Orientaux, la traduction en une ou tout au plus en deux langues: *l'anglais et le français*,⁷ suffit et cela n'est pas *bien*⁸ difficile.

Nous prions instamment la vénérable Présidence du Concile de faire le nécessaire pour accéder à notre légitime demande et nous permettre ainsi de faire des actes humains et non pas des actes machinaux.

D'avance nous lui adressons nos plus vifs remerciements.

In textu scripto tradito: ¹ qu'ont fait ou feront les évêques intéressés, le schéma fait honneur à la Commission qui l'a préparé et, plus généralement, au mouvement liturgique lui-même dont il s'inspire. ² aussi. ³ dans toute